in professione unius eiusdemq vocis, de innocentia deniq ipsius & Scholae inclytae, iudicari ac pronunciari rectius poterit

Vociferabatur tum Flacius, illiq coniurati complures, doctrinam de Iustificatione & reconciliatione cum Deo gratuita, & de bonis operibus donatam fuisse pontificiis, imo impia abnegatione abiectam, ac tetris corruptelis à Philippo & caeteris Scholae Witebergensis doctoribus depravatam fuisse: Hoc enim caput erat criminationum, quibus Anno supra millesimum & quingentesimum, quadragesimo nono & quinquagesimo, ante & post obsidionem urbis Parthenopae, tota opplebatur Germania. Et erant pro dolor innumerabiles, qui & aures easq valde patulas, praebebant iis Calumniis & ψευδολογίαις, & velut obsonio quodam pascebantur ac iis delectabantur, Cum in hunc usq diem clamores illi maledici nondum penitus conquieverint, nec desint iis potiverint, quos ceu fascinatos ac dementatos semel illa criminationum virulentia corripuit, Nec author ipse & Apostata impius